

SEM. oblonga, paulo compressa, tomento sericeo seminibus longiore omnino involuta, coronata Pappo longo, pennato: pennatura ad basin & apice copiosiore.

REC. planiusculum, refertum paleis interstinctivis, subconatis, laciniatis: laciniis setaceis, calycis longitudine.

Color flosculorum amœne cœruleus, ut & paleæ apicibus eodem gaudent colore.

Sero floret.

42. ATRACTYLIS *cancellata* flore radio nudo, calyce interni involucro connivente obtecto.

Atractylis foliis linearibus dentatis, calycibus conniventibus. *Hort. cliff.* 395.

Cnicus exiguus, capite cancellato, semine tomentoso. *Tournes. inst.* 151.

*Habitat* in collibus apricis Madriti & ad St. Fernando.

*Radix* annua, sat profunde veso descendens, tenuis, fibrosa.

*Caulis* brevis vix ultra unciam unam vel alteram longus, sæpe semuncialis vel simplex, erectus vel ramosus ex radice, ramis caule longioribus, procumbentibus, paucis, teretibus, tomento parvo incanis.

*Folia* alterna, linearia, acuta, lateribus inæqualiter sed mollia spinulosa, superficie tomentosa, sæpius conduplicata.

*Flores* solitarii, sessiles, terminales cauli & ramis (si adsunt).

*Involucrum* polyphyllum, rigidum, in figuram ovato-subrotundam connivens laxè includit calycem: foliolis rigidis, curvis, linearibus, acutis, interioribus convexis glabris, exterioribus planiusculis margine exstante spinuloso: spinis rigidiusculis non vero pungentibus, bifidis, patentissimis.

CAL. communis ovatus, glaber, imbricatus squamis lanceolato-acutis vel interioribus linearibus, arcuissime inter se ope tomentuli cohærentibus, intimis linearibus, acutis, longioribus, membranaceis, erectis; omnibus inermibus.

COR. multiplex in totum novem vel decem flosculorum, tota hermaphrodita, calycis longitudine, sed sub-florescentia quoque pappo calyce longiora vestita: corollulis omnibus æqualibus.

*Corol-*